



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. Figuræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## TITULUS XXIV. ARBOR.

**J**LLustrum rerum eventus sæpe sub arboribus facti. Gen. 18. 8. Abraham, liberali hospitio, & conviviò, Angelos excipiens, itabat juxta eos sub arbore. Judic. 4. 5. Debora, quò tempore Israhel judicabat, *sedebat sub palma, qua nomine illius vocabatur.* Judic. 6. 11. Angelus, qui Gedeonem in Judicem inauguravit, *venit, & sedis sub queru, qua erat in Ephra. 1. Reg. 14. 2. Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato.* 3. Reg. 4. 25. *Habitabaturque Juda, & Israhel, absque timore ullò unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua.* 3. Reg. 19. 4. Elias fugiens Jezabelem, & in desertum se abdens, sedebat subter unam juniperum, & in umbra illius dormiebat, ibique angelicò & colloquio, & conviviò, fruebatur. Jonas 4. 6. de Ninive regressus, sub hedera, quam illi Dominus præparaverat, requiescens, lætabatur lætitiâ magnâ. Cant. 8. 5. cœlestis sponsa à Domino sponso sub arbore malo ad meliorem vitam suscitatur. Jo. 1. 48. Nathanael, cum esset sub ficu, à Christo Domino videtur, statim ipsum visurus, & cogniturus. Mendoza in 1. Reg. 14.

In Paradiso arbores diversi generis erant contra varios defectus. Ut, si homo congruò tempore de uno comederet, nunquam amplius

esuriret; congruò tempore de aliò, nunquam amplius finiret; si verò de aliò, nunquam lassaretur. Ad ultimum, si de ligno vitæ uteretur, non amplius senesceret, non infirmaretur, nunquam moreretur. S. Anselmus Elucidat.

Arbor vitæ, juxta Perer. & Franc. Valesium sacræ Philosophiæ c. 6. vitam fecisset longævam, non tamen immortalem; ut multi putant. 2. Valentem, & robustam. 3. Lætam, & hilarem; prorogasset ad aliquot annorum millia. Ex hac arbore sinnerunt Poëtæ suum nectar, & Ambrosiam, qui Deos faciant immortales, juvenes semper, lætos, & beatos. Probabiliter Theodoret. Procop. Isidorus Pelus. & Gemmadius, putant arborem scientiæ boni, & mali, fuisse ficum. Nam statim ab ejus esu nudum se videns Adam, ex foliis ficus vestem sibi confuit, ut dicitur c. 3. v. 7. à proxima felicitate arbore. Corn. à Lap. in Gen. 2. v. 8.

Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetuâ soliditate, & beatâ immortalitate, vestiretur; nullâ, vel infirmitate, vel anxietate, vel senii lassitudine, fatigandus. Hugo Card. in Gen. c. 2.

Certe, sine controversiâ, arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant. B. Theodoret. q. 28.

## TITULUS XXV. ASCENSIO CHRISTI.

§. I.

Figura.

*Cum duabus curvis regredior.* Genesis 32. 10.

*Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deut. 32. 11. Ascendit potenter propter inflammationem, ut scilicet cœlestis patriæ, & gloriæ fides, & spes & desiderium firmitus eis imprimeretur, & ut desiderium, veniendi ad eum, excitaretur in illis. S. Bernard. Sen. tomo 3. f. 1. de Asc. Dom. Apparitiones Christi post resurrectionem, & locutiones de regno Dei Act. 1. 3. erant velut volatus, quos coram Discipulis faciebat; ut sic corda eorum in cœlum erigeret. Diez tit. Ascensio Dom.

*Hec est præda David.* 1. Reg. 30. 20. Itâ milites ejus clamabant, cum, victis Amalecitis, opimis spoliis victor onustus à bello reverteretur. Redeunt hodie potentissimo Duci, tot amoris sui captivos & spolia tam opima, referenti, quantâ cum lætitiâ cœlestem militiam applausisse putamus? quoties repetebant: hæc

*Polyant. Sacr. Tom. 1.*

*est præda David.* Id. conc. 2. in Asc. Dom. Viderunt cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata; & admirantes fulgentiâ divinæ virtutis vexilla, talibus conerepant hymnis, deducuntque lætantes: *quis est iste Rex gloria?* S. Aug. de temp. f. 5. in festo, Asc.

*Rex quoque (David) transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, que respicit ad astrictum.* 2. Reg. 15. 23. Cur David fugiens Absalonem, in montem olivarum, tanquam ad asylum, confugit? Respondet Cyrill. Jerof. cat. 2. Cum Absalon adversus illum armacepit, quamvis multæ illi viæ ad fugam paterent, per montes tamen olivarum fugere maluit; firmâ invocans mente Liberatorem illum, qui isthinc cœlos ascensurus erat. Did. de Castillo Illat. 176.

*Nubecula parva ascendebat de mari, & facta est pluvia grandis.* 3. Reg. 18. 44. 45. Postquam Humanitas Christi ascendit in cœlum, in Pentecoste facta est pluvia gratiarum de Rampelgis, Ascensio Christi.

R 2

Este

*Ecce currus &c.* 4. Reg. 2. 11. Raptus Eliæ fuit typus ascensionis Christi in cœlum, uti docet S. Bernard. l. 3. & 6. de Asc. & S. Greg. hom. 29. in Evang. Cornel. à Lap. hic.

*Tria sunt mihi difficilia*, Prov. 30. 18. 19. Aquilam in hoc loco Christum D. debemus intelligere, qui post venerandam resurrectionem; quâ docuit humanum genus in vitam redire post mortem; velut aquila revolavit ad Patrem, prædam secum referens, id est, hominem, quem rapuerat de faucibus inimici. S. Ambros. l. de Salom. c. 2. hic. Via aquilæ in cœlo fuit Christus in ascensione: via colubri in resurrectione, quia coluber in petra renovatur: via navis in mari, in Passione: via viri in adolescentia, in Incarnatione. S. Bonav. hexam. l. 8.

*Oritur sol, & occidit &c.* Eccl. 1. 5. Mysticè: oritur sol, id est, Christus de Virgine: & occidit in cruce: & ad locum suum, id est, in cœlum empyrium, vel ad sinum Patris, revertitur in ascensione. Hugo Card. hic.

*Oritur sol*, Eccl. 1. 5. id est, Christus de Virgine; *& occidit* in cruce; *& ad locum suum*, id est, cœlum empyrium, vel ad sinum Patris, *revertitur*, in ascensione. Hugo Card. hic.

## §. II.

## Ascensionis fines.

*Si exaltatus fuero &c.* Jo. 12. 32. Propter hoc in cœlum ascendit, ut nos illuc attraheret. Hugo Card. in Prov. c. 4.

*Expedit vobis, ut ego vadam.* Jo. 16. 7. Propter hoc ascendit Christus, ut sublevaret cor hominis ad suam dilectionem. S. Bern. Sen. tomo 3. in asc. D. l. 2.

Qualibet res ardentè dilecta trahit ad se cor, & cogitationes, amantis; sicut calore solis trahuntur sursum vapores terræ; & lux in lampade trahit ad se oleum paulatim. Luc. 12. 34. *Ubi thesaurus vester, ibi & cor vestrum.* Quia igitur Apostoli ardentissimè amabant corporalem præsentiam Christi; nec mirum, quia nimium amarus fuit, ex verbi dulcedine, & conversationis, gratissimâ; & idè plurimum à dilectione, & receptione cœlestium bonorum impediabantur, & non curabant elevare cor, nec desiderium in cœlum. O! dicit Christus, ego faciam vos elevare cor, & intellectum, in altum; quia ego ascendam in cœlum. S. Vinc. Ferr. l. in Asc. Dom.

## §. III.

## Ascensio Christo gaudiosa.

*Veni in hortum meum.* Cant. 5. 1. Descendendo in uterum tuum, & assumendo carnem, ut verus homo nasceretur, qui verus Deus eram, veni in hortum meum. Moriendo, atque in infernum descendendo, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Resurgendo comedi fenum cum melle meo. Ascendendo in cœlum bibi vinum meum cum lacte meo. S. Rupert. in Cant. l. 4.

*Dimittis novaginta novem oves in deserto.* Luc. 15. 4. Ut ovem errabundâ reduceret ad ovile, reportans eam humeris propriis super crucem; & veniens in die Ascensionis convocat amicos, & vicinos suos, id est, Angelos, dicens illis: *congratulamini mihi, quia inveni ovem meam.* Hugo Card. in Eccl. c. 4.

*Veniens domum.* Luc. 15. 6. Scilicet in die Ascensionis, convocat amicos, id est, Angelos &c. S. Bernardin. Sen. tom. 3. f. de animæ dignit. Adventus ad quærendam ovem perditam, Incarnatio est Filii Dei; impositio ovis in humeros, redemptio est humani generis in proprio corpore; reditus domum, resurrectio, & Ascensio, est in cœlum. Cajet. hic.

In hac die tota civitas cœlestis Jerusalem rosâ coronata est, resperâ odoribus, floribus redimita, ornata monilibus, decorata gemmis, aurâ depicta, & circumquaque septa cantoribus: adeo, ut per omnes vicos, & plateas, atque super ipsius muros, dulcissonè laudantium perfreperent voces. S. Laur. Justin. l. in festo Asc. Dom.

## §. IV.

## Ascensio Christo gloriosa.

*Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* Pl. 23. 7. Quando natus in præsepio, rex conclamatus non fuit. Si ei regius titulus non datur, cum è superis descendit; cur, quando ascendit, & in cœlum redit, Rex nuncupatur? Quia post vincula, post labores, in cœlum redit: tormenta Filio Dei coronam expoliverunt. Euseb. Emiss. hom. in Asc. D. merito, post peractam redemptionis nostræ administrationem, Regis suscepit dignitatem.

*Et nubes suscepit eum.* Act. 1. 9. Cur ministeriò nubis utitur? Oecomenius: Incarnatus quidem Deus nube, tanquam vehiculò, usus est; nam Dominus erat; Elias verò igne: ille enim tanquam Dominus Universi propriâ ascendens virtute, terrenum quiddam, & quod deorsum fertur; ad ascensum assumit; nec magis ductus, quam reducens ipse vehiculum. Elias servus erat, idè quæ sursum ferente vehiculò e-gens, & equis, qui velocitatem itineris illi pararent. Sylv. hic.

Cur Christus ascendit in cœlum per nubem, cum venturus sit ad iudicandum *in nubibus cœli*? Matth. 24. 30. Amicis, & benevolis, fat erat una nubes, ut ejus majestas agnosceretur; & coram hostibus multiplex adit famulatus. Sylv. ib. q. 18.

Lucifer inde (cœlo) cecidit, sol ascendit; vanitas è cœlo ejecta est, veritas in cœlum reversa est: amiserat illa civitas creatum Angelum, ac recepit creatorem Hominem.

Joan. Gerson. serm. de Asc.

Dom.

## §. V. Ascen-